

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Bacmeister Valentin Loeber

**Disputatio Medica Inauguralis, Casum Laborantis Podagra proponens**

Rostochii: Kilius, [1658]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730121313>

Druck Freier  Zugang



R U. med. 1658.

Johannes Barmister, Prae  
Valentin Löber, Reg.



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
CASUM LABORANTIS  
**PODAGRA**

proponens,

*Quam*

Auspiciis S. S. Trinitatis

Ex decreto & autoritate Nobilissimi, Amplissimiq;  
Medicorum Ordinis in ALMA ROSARUM,

SUB PRÆSIDIO

*Viri Nobiliſſ. Ampliſſ. Præcellentiſſ. & Experientiſſimi*  
DNI.

**JOANNIS BACMEISTERI,**

Medicinæ D. Anatom. & Chirurg. Professoris Publ. celeberrimi, Poliatri & Practici feli-  
ciss. Faculta. suæ Senioris suspiciendi, & p.t. DECANI  
plurimum spectabilis

Dni Præceptoris, Fautoris & Promotoris sui  
nunquam non devenerandi,

Pro primi honoris, in Stadio Palæstræ

Medicæ, gradu, & Privilegiis Doctoralib. ritè  
consequendis, publicæ censuræ doctorum d. 12. Aug.


St. V. anni currentis 1658. loco consveto, horis ante-

& pomeridianis subjicit & exponit

**VALENTINUS LÖBER, Erff.**

*Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.*

1658





## C A S U S.

**V**er quidam generosus, quinquaginta circa  
citer annorum, carnosō habitu, ex au-  
lico genere tempore verno incidit dere-  
pente in fastidium cibi, & horrorem  
& obscurum vagumq; dolorem circa  
tempora & scapulas sentiens lectum petit. Insequi-  
tur nausea ejusq; pedissequa vomitio & quidem hu-  
moris falsi cum pituita. Mox alget, mox iterum in-  
calescit, noctu diuq; inquietus vexatur siti & urina  
suppressione miserabili. Urina variabilis & rubicun-  
dior interdum. Inprimis dolor parte interiori sini-  
strum occupat genu, hinc metapedium, talum &  
portionem hallucis supernam; post dextrum pari modō  
pedem. Adest durante dolore alvi crebra dejectio fin-  
cer & pituita. Loca tandem dolorosa intumescunt cum  
albedine rosea. Medicam igitur implorat opem,

§. I.

**O**biam nobis procedere allaborat domina illa dolorum,  
à Luciano tragicè introducta P O D A G R A, qua hodie  
Medicorum fere opprobrium audit. Hanc ipsam sub Dispu-  
tationis incudem, juvante Deo, revocare mens est. Dicitur  
ergo germanicè Das Zipperlein/ die Sicht/ das Podal/ das Gesicht/  
A 2 & La-

2

& Latinō nomine caret, unde & patriam *Latium* habere vix creditur. A *Gracis* autem, qui græcari præ cæteris nationibus noverant, δῆν τῶν ποδῶν ἄγεας, istud est, à pedum capture nomen accepit. Quod Podagræ vocabulum quidem generaliter sumptum quamvis arthritidis speciem quibusdam autoribus involvit, sive sit in *nucha*, sive dentibus, sive in latere, sive tibiis, sive genu, sive manibus &c. Qui dolores tamen propriæ omnes non sunt arthritides, eo quod non omnes accidunt circa articulos: *specialiter* vero acceptum sequenti delineamus modulō.

§. 2. *Podagra est arthritis pedum in partibus nervosis, sensu præditis, ab humore podagrico, id est, falso & feroſo exorta.*

§. 3. Arthritiderū vocamus dolorem articulorum. Dolor autem juxta Galenum lib. 2. de locis affectis. cap. 2. est sensu tristu, seu est moleſta sensatio ob continuū ſolutionem, quæ in podagra modō ferè obſcurō evenit à feroſitate quadam ſalina & ſpirituola acrimonia. Dum n. hæc vellicando & pungendo in partes sensu donatas agit, objectum tactus improportionatum, ingratum & dolorificum in Palladis arce nondum depravata per spiritus animales ſentift facultaſ judicatrix, & tristatur. In proposito caſu quia dolorem varia concomitantur ſymptomata & signa, breviter ea primo explicemus, & dein Curatiōnem & præſervationem ſubnectamus.

§. 4. *Vir quidam generofus*) Experientia quidem rerum optima Magistra nos edocuit, podagram nulli ſexui, nulli ætati, nec ordini parcere. Nam & mulieres & pueros, quos Hipp. 6. Aph. 30. ante Venēris uſum exemptos vult, invadit: Imo & Eunuchos cum Dea hac cursiveta, (ut Lucianus nominat,) manum conſeruisse compertum est. Sed divertitur iſta nullibi lubentius, quam apud viros, eosq; opulentos, quos excruciat eò acerbius, quo fuerint intemperantiores. Pauperum casas iſta elatō ſuperciliō fere præterit; Tecta aulica ſubit, ubi pocula non paucula ſiccantur: Ubi Baccholitatur, ibi diversoriū, ibi patria eſt. Inde natum Podagræ epitheron, quod Θεὰ μισθίωχο dicatur. Quem titulum pauperes ſine omni aduersus processus invidia tolerare poſſunt,

S. f. Quim.

§. 5. *Quinquaginta circiter annorum*) Invadit hæc Talitorquula communiter ab anno trigesimo ad quinquagesimum. Quia circa id ætatis ob calorem acriorem major sit coacervatio humorum falsorum. Quanquam & supra & infra hanec ætatem homines etiam gravet.

§. 6. *Carnosò habitu*) Macilenti si hoc malo premuntur, acerbis luctant, quam carnosi & obesi: Hospitium enim possident angustius. In obesis acri monia spirituum facilius obtunditur. Et quia matri ut plurimum sunt calidiores & agiliores, spiritus mordaciores coacervant & suppeditant.

§. 7. *Ex aulico genere*) Cur hæc Tardipes præ cæteris corripiat aulicos, suprà paucis indigitatum est. Isti in à plurimis dicuntur præ aliis errores in diæta errare. Horum errorum sunt: Frequentibus præter modum compotationibus & comensationibus interesse: Vina bibere in locis limosis, lapidosis, argillosis, aut margâ aut aliò minerali scatentibus enata: Cerevisiam ingurgitare, quæ cocta sit ex frumento & aqua salina aët tartarea: Multos cibos salitos & fumô induratos devorare: Desidem & Supinam agere vitam: Venereum nimium amplecti, vigilare nimis, sèpius excandescere, pedes equitando vehementius commovere. Sed multum etiam errore ducuntur, qui consuetas prætermittunt evacuationes per hemorrhoides, sudores, alvum, vesicam urinariam, nec studiofuis sibi discavent ab aere calidore & humidiore. Nocent etiam frequentia balnea, & incessus nudis pedibus & usus crebri pediluvii, & gestatio calceorum preventium, & allisio pedum in corpus solidum, & id genus alia, quæ pedes debilitant, & affluxui materiae serosæ ac salsaæ à visceribus & partibus infirmis emissæ ansam præbent.

§. 8. *Tempore vernō incidit dærepente in fastidiam cibi*) Tempus vernum seu æquinoctiale accommodatissimum est momentum temperie suâ humidâ podagram movendi, ut Hippocrates monet. Nam Vene sanguis, humores & spiritus commoventur, sicut hœc tempore vina videmus commoveri, aliæq; ferme omnia turbari, quando terra vivificò solis calore excitata, secundum suum aperit sinum, ac spiritus balsamicos per naturalem sublimationem plantis distribuit, easq; brumali frigore demortuas quasi resuscitat. Initium autem invasionis est hœc fastidium

dium cibi, procul dubio hac de causa, quia cruditates in ventriculo, ex ingluvie continua adaucta orificium ventriculi quasi colluvie inundarunt, ut vis cibos appetendi quasi sepulta jaceat, donec insultu naturae ab illa molesta saburra liberetur.

§. 9. Et horrorem & obscurum vagum, dolorem circa tempora & scapulas sentiens lectum petit) Si in febribus accessiones fiunt, horrores accident, tunc n. materia febrilis impetum facit, Idem etiam fieri potest in febri podagrifica, quam *Synocham* autores vocant, quæ, ut *Platerus* habet, primum horrore, mox superveniente calore, siti, corporis inquietudine ægrum gravat. Vagante ergo & irruente materiæ podagrifica per venas & arterias circum scapulas & tempora, vel vapores acres istuc emitente, dolor vagus & gravitas contingere potest, & certum signum est materiam noxiā existere in fluxu. Ubi tñ. fontem omnis fluxionis cum *Fernelio* non facimus caput & quidem partem illam sub eute verticis ubi interdum tumor est; Sæpe enim dolor hominem in momento affligit in pedibus. Nec invadit Podagra semper cum *xaenBaetæ*, sed ut plurimum podagrī expeditō sunt ingenio, ut capiti remedia adhibere opus non sit. Altjecur justo calidius, ut in nostro subiecto, vel frigidius, vel lien, vel aliud in ventre infimo viscus intemperatum, aut pars in qua serofus & salsus humor coacervari amat, fons & scaturigo fluxionis esse solet. Incipit autem fluxus, quando serofitas acris nimis aucta odio naturali à facultate expulsive movetur & pellitur, non secundum ductum nervorum, aut membranæ tendinum: Paralysis enim aut convulsio oriretur; sed per venas & arterias, per quas vias primo pars transiit cum sanguine. Quia 1. aliquando in lotio adsunt commotæ materiæ indicia. 2. si repellentia adhibentur, sæpe cordis compressiones, deliquia & periculum vitæ, ob materiæ per dicta loca regurgitationem, imminet. 3. Accelerante paroxysmō venæ turgescent. 4. Sicut nonnunquam in crisi fit *purgatio* humoris vitiōsi, qui propellitur ad pedes per venosum genus: Item, sicut purgationibus vitiōsus humor sanguini permistus ex venoso genere elicitor & reducitur, sanguine illæsò: Ita etiam fieri posse videtur, ut humor podagrificus per venas & arterias ad pedes detrudatur, ut circum articulos sese insinuet.

§. 10 In-

§. 10. In sequitur nausea, ejusq; pedissequa vomitio & quidem humoris salsi cū pīuita.) Nausea & vomitus sunt commotiones ventriculi nobiles, quibus noxiū expellere conatur. Salsedo & actis monia humoris causam synecticam seu continentem monstrant. *Arretetus de Arthritide l. 2. c. 12.* scriptum reliquit, causam continentem verant Deum solum nosse; probabilem homines. Hoc nihil obstante posuimus in definitione nostra podagricum id est, *salsum & serosum humore,* vel ut Chymisi loquuntur, *tartareum.*: Id quod evincunt nodi & topi, qui maximè omnium generantur adhibitā vini tartarei jugi potatione: Evincit etiam doloris vehementia à mordacibus spiritibus introductory; & materiæ ad suppurationem ineptitudo. Non ergo sanguis biliosus & pīuitosus in venulis corruptus causa contingens esse potest, ut Hippocrates docuit. Bilis enim cum pīuita manvescit. Nec unus aut plures ex quatuor humoribus depravatis aut præter naturaliter affectis podagrām inferunt, ut *Franciscus Joël, Fernelius, Galenus;* alijq; exstimirāunt; *Comitis* enim nomen saltim merentur humoris podagrī. Nam si sanguis foret corruptus, ad suppurationem veniret, quod neutiquam fit; si à bile flava esset; locus affectus flavesceret; si à pīuita sola aut melancholico lucco, dolor non tam vehementis foret, nec tam subito invaderet & irret. Pīuita enim & Melancholia sunt humores frigidi & ad motum celerem inepti. Humorem autem esse *αρρήτον & virulentum perperam* statuit *Pareus Chir. lib. 17. p. 5ii.* cuius rationes elumbes videat, qui velet. Nos dicimus esse *humorem salsum*, qui varii generis esse potest, & colligitur *ας Ιδη τὸ ωλεῖσον* circa articulos per defluxionem, vi facultatis expultricis istuc loci salutinōsum & naturæ molestum hospitem depellentis. Quanquam etiam per congestionem ibi, sed raro, accumuletur; si nimirū partē debiles sunt, quæ alimentum articulis dicatum (quod ad naturam terream & salinam propriū accedit, eo quod glutinosum sit) malè digerunt, perdunt. Hinc nonnulli sine affluxu novo cruciantur, si nempe fiat materiæ collectæ ex levi causa ebullitio, & spiritus acres & mordaces eleventur & mortificant.

§. 11. Ad

§. II. Ad dictam causam continentem generandam, & dolores podagricos inducendos faciunt cum primis duo: *Primum* esse solet pars aliqua præternaturaliter disposita, à qua fluxus humoris falsuginosi prodit & inficit: *Alterum*, pars infirma circa pedum articulos, quæ humorem podagricum promptè recipit & admittit. Unde sèpius etiam hisce cum doloribus conflictari expertum est, qui jecur potissimum & ventriculum habent intemperatum, aut infirmum. Epar enim calore suo depauperatum segnius sanguificatur, nec salia separanda probè separant, hinc sanguis crudior & tartarizatio uberior & crassior. Jecur calidius, *quod in nostro casu locum obtinet*, chylum à Virtute ventriculi frigidi debitò modò non elaboratum, sed impuritatib⁹ adhuc scatentem, & variis salium tinturis (*Hippocr.* δύναμεις νοσεῖ) contaminatum, indiscriminatum & tumultuarie quasi ad fæse rapit, & quia segregandivi majorem in modum destitutum est, saledo non sejungitur; sed per caliditatem prætermatura-lem potius acuitur & augmentatur, & unà cum sanguine in venas & arterias influit, ibiq; coacervata & exaltata spiritibus suis acribus & mordacibus partes circa articulos sensiles invadere & infestare consuetescit. Sic in juvenculis pars talis præternaturaliter disposita esse potest *uterus*, quando Lunare suum tributum constituto tempore non persolvit, aut aliò malo laborat, ut sanguis menstruus serosò & tartareo humore inquinetur, subsistat, & dein iter suum maturet ad pedum debiles partes. Quæ dispositio seu *Algœteris* nonnullis ex arthriticis parentibus ingeneratur. Pari enim modò ut calculosi interventu semenis in prolem derivant virtutem in renibus λιθομητικήν: Sic *Algœteris* tartarifica in parte aliqua corporis stabulans per generationem communicatur. *Pedes* etiamsi par-tes corporis debiliores per se sint, quia frigidiores; majorem tamen induunt debilitatem, si ab utero imbecillo non elaborantur bene, sed laxiores & molliores manent, ob caloris nativi defectum, ut propter raritatem & laxitatem pronæ sint aut ad recipiendum afflu-entes humorēs podagricos, aut ad colligendum, cùm nempè alimen-tum non ritè concoquunt. Præterea parentes arthritici, mediante spiritu & spumosò semenis corpore, vitium etiam imprimit sobolis pedi-

7

pedibus, ut experientia testetur, nepotes podagrâ correptos suisse hæreditariâ ab avo acceptâ, sanis existentibus parentibus; Podagra enim inter morbos salinos unus est, qui fixiorem retinet in semine radicem, quam mercurialis aut sulphureus aliquis. Quid certa positio stellarum in hominu[n]s nativitate obesse queat pedibus, tanquam non satu[m] per cognitum prætermittamus.

§. 12. Mox alget, mox iterum incalescit) Mutationes hæ subitanæ sunt concertationes Naturæ cum causa morbifica, ubi conflitus dubius jam huic jam illi parti victoriam promittit, donec adversarius ad extimas detrusus partes tandem discessum paret, licet haud inultus. Quidam has mutationes in tartari naturam conjiciunt.

§. 13. Noctu diug. inquietus vexatur siti) Natura enim in expulsione noxii negotiosa ne noctu quidem inducias pangendas suadet. Unde inquietudo & ex febri seu humoribus agitatis & incensis sitis, quæ soboles æstus rectè dicitur, & ob humili & frigidi assumptionem circa stomachum accidit. Ex æstu vapores calidi cerebrum petunt, spiritus calefaciunt & pervigilium & jaestationem caulantur. Circa vesperam symptomata hæc plerunq[ue] ferociora fiunt, ob sanguinis recursum ad interiora. Imo pro quantitate materia[m] morbo[s]æ, ejusque φλογώσ[ει] hâc vel illâ horâ magis affligunt.

§. 14. Et urinæ suppressione miserabili) Urinæ suppressio ob tartrum crassiorem, qui canalem urinarium vel obstruit, vel a credine suâ inflammat, contingit.

§. 15. Urina variabilis & rubicundior interdum) Objecoris & renum calorem jam intensiorem, jam remissiorem, prout materia febris, serosa & tartarea inflammatur, & per venam cavam, emulgentes, ureteres & urethram delata, semiuista & rubella cum aquositate reliqua, adjuvantibus musculis quatuor excretoriis, secernitur.

§. 16. Inprimis dolor) Dolor quid sit, superius relatum est. De hoc uberioris agitur apud Jacobum de Forlivio super libr. Tegni Avicennæ, can. 83. Legatur etiam Horatius Augen. tom. i. Ep. Med. l. 3. ep. 1. & alii. Numeratur autem inter signa diagnostica prælentis Podagræ, cui & alia accedunt, nempe motus impotentiæ, tumor, tophi &c. Sed nullum horum præter dolorem genus podagræ commodius esse potest, qui dolor tamen sui generis est. Vid. Senn.

B

§. 17. Par-

§. 17. Parte interiori sinistrum occupat genu, hinc metapodium, talum & portionem hallucis supernam) Præludia doloris hic sentiuntur primo circa genu ex defluxu copioso materiæ serosæ & acris instar lixivii, quæ per tempus ibi hæret, sed mox ulterius prolabitur ad inferiores partes jam memoratas. Communiter a. primo dolorem infert articulo pollicis, quod signum indubitatum & ~~metaboyz~~ ~~ropowinx~~ podagræ existit, distinctum cum ab aliis, tum ab Erysipelatis signis. Hoc enim plerumq; in imo tibiarum rubet & floret, & mihiorem possidet dolorem, & calorem ferventiorum cum vesiculis & florida rubidine, ut plurimum sine tumore. His tenendum, quodnam proximum doloris podagrici sit subjectum. In definitione nostra partes diximus esse nervosas aut membranolas juxta articulos. Ubi ligamenta quidem omnia non excludimus, ea videlicet, qua à periostio validis nervorum filamentis donata principium administrationis mutuantur, sensuq; gaudent, & membranosa sunt. Nec obstat ~~æcne~~ ~~æcne~~ objectio. Nam & eadem non sit à periostio, quô articuli immediate vesciuntur. Cartilaginea vero ~~χορδοσύνδεσμοι~~ nuncupata, sensuq; destituta, qualia sunt, quæ femur cum coxendice, tibia cum coxa necunt, secludimus. Et quamvis arthritis dicatur morbus articulorum, & *Arteæus* lib. 2. cap. 12. scribat, Ossa & dentes pati dolores; Tamenejusdem subjectū verum non sunt ossa nec cavitas articuli. Ratio 1. Quia sedes interior circa articulos caret periostio, ergo etiam sensu. 2. Articuli non admitunt seruos humores, propter exactam & arctam conjunctionem, nullaq; adest via influendi; Ligamenta enim crassæ substantiæ difficulter iter aperiunt. 3. Animadvertisimus, si repellentia adhibentur, humores peccantes in vaca regredi, quod lecus fieret, si hospitarentur intra cancellos articulorum. Imo 4. trophi, qui non intra articulos, sed extra in quorundam podagrorum pedibus hærent, probant id. Si n. in cavitatibus articulorum essent, discederent articuli ab invicem, & podager fieret ~~μακρότερος~~.

§. 18. Post dextrā pari modo pedē) Ob copiâ serositatis eò loci quoq; repulsa. Tandem n. vix ullus in corpore loco ab hoc malo immunis manet. (& tunc arthritis vocatur) Imo fit, ut ejusmodi humores præter dictam podagram alios afferant affectus, quatenus diversimode corporis partes

partes impetunt, utpote pleuritidem, ut *Capivarius* exemplum allegat; Dolores dentium, ut *Sirobelbergerus* habet, qui joculariter & abusivè podagrum dentium pro *odontalgia* dixit & scripsit.

§. 19. *Adest durante dolore alvi crebra dejecio sinceræ pituitæ*) Hujus modi symptomate podagrī plerumq; afficiuntur, ita ut crebro dejicient per alvum pro vice modicum saltim mucositatis, morbo ad declinationem tendente. Et quamvis appareat pituitæ esse copiam in intestinis natam; Verisimile tamen est, magnam simul partem tartari mucilaginosi per inferiorem guttarem, ut *Plautiverbi honestis* utar, excludi, id quod acredo, & creber excludendi conatus ostendit.

§. 20. *Lesa tandem dolorosa intumescunt cum albedine rosea*) Morbus ad finem tendit, si loca intumescunt, ergo tunc cura saltim præservativa valebit, & discussio humorum. Nam tumor insequitur affluxum humorum, quia serum exteriōres occupat partes, hospitiō nervosarum & membranosarum partium relictō. Albedo autem rosea subindicat tartareum seu podagricum humorem associasse se pituito sanguineo: sicut insignis rubedo & distensio venarum plēthoram & sanguinem; Tumor mollis, & albicans pituitam: Ardor, tensio & subflavescens color bilem arguunt adesse & in corpore abundare. Sed hæc in aliis subjectis observanda veniunt, ubi & non nunquam *convulsio* accedit; sed rarissime, idq; hac de causa, quia partes sensui dicatae potius afficiuntur in podagra, raro autem illæ, quæ motui inserviunt, ut rectè existimat Cl. *Sennertus* de Arthritide.

§. 21. *Prognosticon* hoc in casu videtur esse, quod æger ab hoc malo, observatis observandis, liberari possit, quatenus accuratum & expertum nanciscatur Medicum. Podagra n. statim lethalis non est, eo quod vitiōsi humores à principalioribus ad partes minus-principales per intervalla protruduntur, & ita ab aliis morbis periculosis præservant. Præsupponimus autem non esse inveteratam, nec cophaceam, nec hæreditariam. Tales n. difficulter, imò omnino non humano præsidio radicis extirpari possunt. Podagram a prorsus & absolute incurabilem esse morbum, obluctatur experientia, quæ compluribus exemplis ejusdem testatur curationem vel *abstinentiam* & *vino*, ut in Medico quodam sene Venetiis factum, sicut refert *Sennertus*: Vel *terrore & consternatione*, ut de quodam iracundo yiro re-

censem *Guilielmus Fabricius Cent. i. Ep. 47.* Vel gaudiō nimiō, ut de quodam capite plectendo idem annotat *Fabricius*: Vel deniq; medicamentorum ope, ut *Solenander*, *Gardanus*, *Carolus piso* aliiq; experti Medicis scriptis suis testantur. Quod a. quidam non restituuntur, id inde est, quia vel plurimos in diæta committunt errores, sic essen und triticken was sie wollen / und leyden was sie können. Vel medicamentorum usum satis diu non continuant, vel medicastris erronibus utuntur, qui morbi indolem non probè nōrunt. Difficiliorēm tn. redundūt morbum plura symptomata, & si per consuetas periodos non invadit. Sæpe n., materiā aliō influente, lethalis sit. Si enim materia omnis ad intestina convertitur, eaq; excoriat, dysenteriam lethalem excitat. Sicut ego verum, sed miserandum exemplum in viro quadrato Osterndorffii expertus sum, anno 1655.25. Octobris: Si viribus imbecillibus febris & dolores non dant inducias: Si delirium, tremor cordis, anhelitus difficilis, sudor frigidus, pulsus parvus advertitur: Item si colluvies circa sinistrum pectoris sinum cumulatur, & sinistram manū digitus annularis nodus acquirit, & valde intumeſcit, mortem in limine esse puta. Varices tn. si podagrī superveniunt, liberantur; Eò enim influit materia. *Galen, lib. 7. de morb. Vulg. comm. VI. §. 8.*

§. 22. *Medicam igitur implorat opem*) Scopus medendi complectitur præservationem à Podagra, & ejusdem curationem. In præservatione tria summò studiō attendenda sunt, quæ post brevicalam curationem annexemus. *Principio* ergo, quia materia, quæ hic in fluxu est, & tendētia ad partes affectas, revelli & statim imminui & evacuari amat, suadeo ut revellatur & evacuetur vel vomitu, vel leni clystere aut purgatione. Venæ sectionem n. in hoc subiecto locū obtinere in principio nego, etiamsi præstō sit febris. Cōtrarium n. indicat & ætas inclinans, & phlegmatum ubertas. Nec febris tanti momenti est, ut phlebotomum ad sui refrigerationem rapiat, cùm & corpus carnosum febris æstum facilius ferat & febr. sponte esset finitis dolorib. Vomitus, cùm à Natura ipsa monstretur, Tartarō emeticō nostrō, vel croci metall. gr. iiiij. in vino Hispan. infus. & filtr. calideq; datis optimè promoveri posset, quia & *Mercatus* restatur (qui tn. vomitum nimis frequentem male præcipit), nullō aliō auxiliō commodius & fluentium

11

entium humorum reliquias revelli, & fluxuros evacuari, quam per somitum. Si æger a. non assuerus foret vomitionibus, clysteribus ut lenibus purgationibus res esset peragenda. Clyster esse posset talis: R. Malva c. t. Mij. coq. in s. q. serilactis caprilli ad unc. viiiij. expressæ collature add. ol. liliæ. albor. violar. rosar. an. dr. iij. salu gemmæ dr. j. M. pro clysteri. Detur ad vesicam cum canali pro viro. Injiciatur tepidè, & reiteretur, si opus, sepius. Modum meliorem per syringes injiciendi clystres describit Primerosius lib. 4. de vulgi erroribus in Medicina p. 154. c. 21. Ex Purgantibus mitioribus eligendus mihi videtur Sirup. de cich. c. Rhab. vel diaforeos Andernati, cum hepar iustò calidius adsit. In morbi declinatione validius propinari potest purgans hoc: R. Mag. Jallapp. ad modum D. Zvvelseri facti gr. X. vel XV. solv. in sp. vini q. s. add. aq. flor. Sambuci, Sir. de Cich. c. Rhab. ana unc. j. M. f. haustulus, & tepidè ebibitus, te non frustra habebit. Alii alia pro diversitate subjecti & humorum admixtorum propinant cathartica. Aricenn. lib. iiij. fen. XXij. tract. 2. cap. 8. p. 403. commendat hermodactylum, in Dioscoride colchicum dictum, quem Tragus noster germanus tanquam venenum damnat & improbat. Vid. Paulus Ægineta lib. 3. p. 78. Serapio item & Mesue ipse. Sed Platerus eligere jubet bulbos veros albidos, non rugosos, & qui candidum exhibent pulverem; Vitare a. colchicum stranguulatorium, rugosum, foris intusq; nigricans vel obscure rubescens. Solenander Sir. de spina cervi laudat. Petrus Bayrus Elect. Caryocostatum exhibuit, & illud secundâ extulit oratione, Monendum hic quosdam in actu purgationis fasciis oblongis, palmam latis, & adstringente quodam liquore imbutis, genua, ad descendentes humores noxios intercipiendos, ligare & stringere. Sed vigilandum, ne deliquia ob recursum humorum obveniant.

§. 23. Secundò cùm etiam humoris podagrī aliquid influxit, & circa pedum articulos dolores acres excitavit, urgenti huic Symptomati obviā eundum est. Urget a. ut plurimum & torquet miseros ægros tam crudeliter, ut compertum sit, quosdam sibi violentas intulisse manus. Sicut de Palemone quodam Sophista legitur, qui ex impatientia sibi ipsi vita filum abrupit. Et Podager quidam Gieffensis, cùm dolores non darent inducias, pedis sibi amputavit maximum articulum. Retulit mihi vir honestissimus, Ungarum quendam no-

mine Ravium Regiomonti præ dolore imum pedem maleò vehementi istu conquaflare solitum, & posteà frigidæ imposuisse, multòque sanguine profuente levationem sensisse. Plurimi sane nil, nisi *anodynōn*, spretis universalibus, postulant, ut dolor edometur. Dolor a. à salibus tartareis acribus & corrosivis illatus, per salia lenitiva, discutientia & consolidativa sui ablationem indicat, ut *Quercetanus* habet, in consil. de Arthrit. p. 290. Præmissis ergo universalibus & convenientibus remedii evacuantibus, sequens *Epithema* laudatur, & à quibusdam expertum habetur: R. Colcoth. vitrioli unc. ij. alum. tartari calcinati cum nitro ana unc. j. Salu vitrioli veneris dr. ij. betonic. malvæ ana Mj. flor. Chamomill. Mj. sem. lini dr. X coq. in aq. Chalybeata q. s. R. colat. unc. XV. cum quibus Misce vitri antimonii dr. j. Mercurii sublimati non corrosivi dr. f. & linteola imbuta hōc liquore calidè subinde impone. Alii spumam adhibent decocti rad. Chinæ apud Zacth. l. 3 hist. Med. 38. Alii iterum felici cum successu cataplasma imponunt factum ex flor. & corticibus Sambuci & ejusdem aqua &c. Alii a. scarificant plantas vel pedes. Ego expertum meum *Spiritum anodynum cum spir. cochlearie & equali pondere mistum pennā calidè illino*, præmisso suffumigio nostrō. Sed quia non solum in diversis individuis, sed & in eodem secundum ætatem ratio doloris variat, ideo varianda quoq; sunt remedia. Senn. de Arthr. p. m. 43. Discutiens egregium in tumore relicto est spir. tartari per deliquium seu oleum, & spir. Sambuci ana q. s. pennā sub calidè illitus. Intra in vigiliis & immanibus doloribus post fluxum factum Ladan. Opiati juxta D. Zvvelserum gr. iij vel iiij exhiberi possunt. Febri Synoche quo modo subveniendum sit, ex doctrina de febribus patet. Febri & simul debilitati ventriculi sequenti remedio succurro: R. Spir. vitrioli rectif. scr. ijs. aq. beton. cichor. ana unc. ij. menth. crisp. unc. j. manus Christi per lat. q. s. ad gratiam. Dos. cochl. 3 post esum de die his. Urinæ suppressio. sublevatur hausta vini Hispanici calefacti, & linteis vino Hispaniœ madidis & ad inguina calidè sapius impositis. Alia remedi i antar-thritica quamplurima & ex parte portentosa apud autores varios legi possunt. *Quercetanus* in *Pharmacopœia restit.* p. m. 40. aquam à Germano quodam sibi communicatam nobilissimam describit, hanc *Marci Rulandi* esse affirmant. Vid etiam *Forestus* lib. 29. obf. 3 *VVeckerus* in *Syntaxi* lib. 2. p. 2. lit. E. F. Hartm. in *pract.* p. m. 300. & *Platerus*, *Mindererus*, *Paracel-*

Paracelsus &c. Thomas Bartholinus in Hist. anatom. cent. iii. hisbor LXVI.  
Curam podagræ incipientis per transplantationem ex Joh. Lóselio de-  
pingit sequentibus verbis: *Ægro pilos in utroq; crure novacula demunt;*  
*& insimul ungues manuum pedum, stato tempore, vere scilicet, arboribus*  
*de integro succum recipientibus, & quidem propriidie ante novilunium, re-*  
*fescant, post terebrâ in populo alba, vel quercu virecente, foramine factâ ad*  
*medullosam usq; atboris partem, unguium segmina & pilorum filamenta*  
*in locum excavatum, nullô segestrâ adhibitâ, transportant, foramine ligneo-*  
*lô, ex arboris ejusdam ramulô fabricatâ, accuratè & profundè clauso.* Li-  
gneoli propendens particula proximè arborem securi amputatur, & ad-  
motô finò vaccinô saucia ligni pars propediem optimè deligatur. Quod si  
trimestri spatiô malum podagricum haud recurrat, arborem magneticâ  
virtute efficacissimam arguit: sed hæc valeant. Ad alia. Victus regi-  
men nostro subiecto præscribendum ex præservationis doctrina ferè  
resultare potest, quam tradimus in Genere.

S. 24. Ut podager à doloribus suis immunis maneat, quo ad ejus  
fieri potest præcaveat. I. Ne materia falsuginosa in corpore cumuletur.  
II. Si forte collecta est, mature ante paroxysmum ejiciatur. III. Pedum  
suorum partes circa articulos idoneis remedii roboret.

S. 25. De primo: Ne materia tartarea colligatur, bona diæta  
ratio ineunda est, & medicamentis utendum, quæ viscerum intem-  
periem corrigant. Et ergo, qui rectam victimam rationem servare ne-  
queat, neu velit, medicamenta præscribere lupervacaneum existimat  
Galenus de curand. ratione per venæ sct. cap. 7. Tantum n. in diæta ac-  
curata observatione situm est, ut eâ solâ sæpiissime quidam restituti  
sint. Bona diæta a. consistit in recto ullo lex rerum nonnaturalium,  
quo præcavetur, ne corpus aliquid superflui colligat. His a., qui ni-  
hil superflui colligunt, partes imbecillæ semper sunt in tuto, ut ha-  
bet Galenus lib. VI. de tuenda sanit. cap. 13. Proclivis ergo in podagram  
omnem moveat lapidem, ut præ cæteris offensiones à cibo & potu  
declinet & fugiat. Ex iis n. ægiotamus, è quibus vivimus: εν τατω ρο-  
ση μδη οις καταρρευσει. Et quamvis aëre in qualitatib; non excedente frui  
perquam necessarium sit, vitet tñ. quam maximè esculenta durioris  
coctionis, & succi mali, muriâ aut sal sedine condita, & quæ suillo  
sanguine, admistis sale & arvinâ, farta & postmodum infumata sunt.

Carnes

Carnes anserum, anatum, porcorum & taurorum bonum succum & sanguinem non suppeditant; sed vervecina, hædina, vitulina & bubula junior laudabilioris sunt succi. In *Paroxysmo* convenient amygdalata fühlende Milch, juscula pullastrorum, carnium bubularum, tremor ptisanæ, jus e branca ursina & cerefolio: Carnes juvenes subrumorum agnorum, vitulorum menstruorum, juvencorum cernes trimestres, vervecum anniculorum, perdicum, attagenum, phasianorum, rusticularum, galeritarum, turdorum. Ex piscibus funduli, gobiones fluviales, lucii minores, melanuri &c. eligendi, sed parce edendi, ne ventriculus infrigidetur. Ex oleribus *herba podagrifica* S. Gerhardi dicta conducit. Tempore vernō acidarium fieri potest ex succulenta parte rad. Lappæ maj. Teste n. *Forestō*, ista radix podagrī valde prodest. Ova tremula & sorbillia, non requieta, sed noviter a gallina exclusa, si abest febris, & hepar non adeo calidum, concedenda. *Pruna Damascena*, cerasa pastia bilioso cum primis utilia. Panis sit secalitus, probè fermentatus, non acidus, non mucidus aut à furno subcalidus, non nimis recens, sed purus ac probè coctus. Doloribus urgentibus, jocis, si fieri potest, opera detur, aut concentibus suavioribus, item confabulationibus. *Crato consil. 246.* esum caponum & gallorum extra & intra paroxysmum vetat, non tam ideo, ut *Sennertus* ait, quia multi sunt nutrimenti, quam quod sàpè arenas & calculos devorent, & hinc ipsi quandoq; podagrà corripiantur. Inter pisces cyprini maximè fugiendi. *Julius Alex.* enim refert lib. 15. *salubr. cap. 9.* quendam esū cyprinorum perpetuo sibi conciliasse podagram. Molles ergo pisces, glutinosi & pingui humiditate scatentes nocent, quales sunt anguillæ, ostreæ, aselli pisces, aleces crudæ, conditaneæ, passeræ græcis & germanis *ωλατης* dicti, soleæ & rhombi, maximè cum exsiccati fuerint. Præterea cibi alvum obstruentes, ut teganitæ & quæ in sartagine tosta sunt, item quæ ventriculum refrigerant, respuantur. Fugienda sunt etiam esculenta in vasis æneis cocta, docente *Cratone conf. 117.* Intestinis enim & omnibus naturalibus membris, imo vitæ bellum indicunt. Caseus præsertim inveteratus avarâ detur manu. Inter leguminæ hordeum & panis hordeaceus prosunt. Quæ terrestris sunt substantiæ, vitanda. *Tragus noster* notavit in herbario suo fol. m. 270, *brasicam* podagrīcīs conducere, quem vide loc. cit.

A po-

15

A pomis, quia nimis, eaque penetrabili humiditate abundant, abstinentium. Citria & aurantia mala sale suo armoniaco acidò nocere, & humores fundere & movere perhibent. *Vid. Paræus l. 17. Chirurg. c. 12.* Cibi pingues & nimis aromatibus conditi susq; deq; habendi. In quâitate ciborum assumenda attendendum, ne vires opprimantur, sed potius reficiantur & conserventur, & non plus assumendum, quâm ventriculus epar & lien concoquere possunt. Semper a. *ανοείη* Hippocratis adsit. Hoc est, de mensa surgendâ cum reliquis famis, alias colliguntur cruditates. Sitn. in una mensa aliquid peccatum sit in quantitate, in sequenti derrahendum. Imò semel in septimana à cœna se abstinere, vel eâ parcissimè uti, commodum foret. Cibô nondum concoctô novus, non est ingerendus. Concoctio a. post tres vel quatuor horas circiter absolvitur. Nec varia sunt devoranda simul edulia. nam τὸ ποικίλον τὸ διάτης ποικίλα νυστήματα τίνεται. Cœna prandio sit parcior. Statim à cibo sumpto literis inhiare, aut aliis gravioribus negotiis districtum esse, summe perniciosum est. Hac n. ratione concoctio turbatur & cruditates generantur mucilaginosæ. In usu potus advertendum, quid è gro proficiat, quid non. Si vinum sine damno neutiquam omitti potest, parcissime bibendum, & quidem non ventriculô vacuo; Ita n. nervi laeduntur: Nec inter prandium & cœnam, facile n. ad Epar penitrat & fluxiones excitat, sed si cibus jam solidior assumptus sit. Vinum a. eligendum est Rhenanum, idq; non forte, neq; crudum. Si vero absq; detimento sanitatis à vino abstinere potest, podager semper abstineat, & loco vini commodam substituat cerevisiam. Compertum n. est, abstemios multos immunes à podagra mansisse, ut *Campenella p. 384. & Solenander scđl. 5. cons. lib. i. p. 413.* Icriptum reliquere: Omni n. vino internè aliquid tartari adhærescit, quod à secretice facultate languente postmodum negletum, maximopere in corpore incommodat. Vix n. planta est, præter vitem, quæ salia è terra copiosius attrahat & tenacius retineat. Id quod cineres ex vite clavellati satis arguunt. Cerevisia tn. non minus fugienda, quæ crassum & gignit sanguinem, & preparata est ex argilla & impura aqua, aut ex hordeo purrido, aut iniquo solò enato. Obstructiones n. parit & tartarum suppeditat. Unde nec ea approbatur, quæ in Curlandia & Livonia in ligneis vasis silicibus ignitis paratur,

C

ob com-

ob communicatum forsan tartarum : Nec Anglicana cerevisia, quæ  
in urceis lapideis conservatur, admittenda: sed eligenda cerevisia pro-  
bè cocta, & quæ sine magno negotio vias renum penitret, sabulumq;  
circa ista loca stagnans facile secum afferat, qualis est forte *Ratzeburgensis*, *Romelbeij dæla*. Cerevisia triticæ magis calefacit & succum  
viscidorem facit, nec urinam ita mouet, teste *D. Sperlingio* in sua  
*καρπολογίᾳ*. *Servestana* nimium refrigerat. *Torgensis* non incom-  
moda censetur, item *Naumburgensis*. *Hanipolensis*. quia hodie partim  
ex tritico, partim vero ex hordeo paratur, si benè clara, non recens &  
probè coctasit, temperatae existimat naturæ, satisq; commoda.  
Debonitate cerevisiarum *Schola Salerni* ita habet :

*Non acidum sapiat Cerevisia, sit bene clara.*

*Ex granis sit coctabonis, satis ac veterata. Et:*

*De qua potetur [stomachus]  
[podager] non inde gravetur.*

Potūs a. tantum sumendum, ut siti sedanda saltim sufficiat, alias flū-  
ctuationes ciborum in ventriculo excitantur, & cibus non benè co-  
quitur. Somnus non statim à cibo, sed horis duabus post capiendus,  
& ultra horas septem vel octo non extendendus est. Somnus n. ni-  
mius jure pestis appellari potest. Excrementios enim humores in  
corpo cunulat, & calorem nativum obtundit & torpidum reddit:  
Moderatus visceribus cibus salutatur. Qui tamen imbecilliore sunt  
ventriculō, & assueti meridiana, propter stomachi *βεγδυπεψίας*,  
consuetudini suæ porrò obtemperent. *Vigilæ* nimiae bilem & sero-  
sos humores accidunt, humidum radicale depascuntur, & fatum acce-  
lerant podagro. Præstat tamen plus vigilare, quam dormire. *Veneris*  
castra raro adeunda, & parcè *Aphroditæ* militandum. Alvus quoti-  
diè officium suum faciat, & si immorigera est, eccoproticis medica-  
mentis leniter subducenda, ne cumulentur humores in primis viis.  
Sudores si fieri possunt, utiles sunt matutini. Assuefaciendi autem  
sunt ægri, quia sudores commodissimi sunt ad arthritidem præcaven-  
dam; serositatem enim tollunt è corpore. *Exercitia* corporis sint  
moderata. Ante prandium utile est, sese interdum ad sudorem usq;  
exercere, & dissipatō calore postmodum prandere. Desidia & otium  
supinum vitandum est. Frictiones matutinæ prosunt. Sed multum  
stare,

stare, aut equitare aut ambulare arthriticis noxiū. *Animi paſſiones* declinandæ, ut ſunt ira & terror, calidum enim nativum pellundant, & humores movent; ſed gaudio moderato potiſſimum indulgendum. Hactenū bonæ diætæ ratio.

§. 26. Medicamentis utendū eſt, ſi qua intemperies partium adſit, quæ alimenta etiam optima in virioſum convertunt humorem, aut impurum generant ſanguinem. De his apud autores agitur. Ventriculū a. & hepar egregiè roborare dicitur Fragæa Brunneri ſequens: R. Sem. coriandr. pp. dr. vij. anisi, fænic, cinam. ana dr. iij. cortic. arantiorum dr. ſ. nuc. mosch. dr. iſ. calami arom. dr. j. corall. rubr. pp. ſcr. ij. Sacchar Rosat. tab. unc. j. Sacch. candi albif. unc. iſ. M. f. Tragæa. Dofis à cibo ingefto, quantum diuidio ovi putamine includitur. Huc facit pulv. digest. Quercetani: Pepticus Cratonis: Morsuli Imperator. &c. Ubi tñ. hepar calidius eſt, condit. rad. cichor, aut aliud admiscendum fo- ret conueniens.

§. 27. De Secundo. Cum fieri ferē nequeat, quin is in diæta de- linquat, qui non ſibi ſoli, ſed aliis etiam vivit, & publicis negotiis im- plicitus eſt, ut Sennertus de arthr. ait, neceſſitas efflagitare videtur, ut materia per diæta errores collecta ante invasionem debitè evacue- tur, & ē corpore exturbetur. Quod fieri poteſt venæ ſectione, ca- tharticis, vomitoriis, fudoriferis, & iis, quæ ſerofitatem Naturæ mo- leſtas per ἀδηρὸν διαπνοὴν diſſipant.

§. 28. Qui ergo abundant ſanguine, nec naturā aut ætate debile aut frigidum habent corpus, ut noſtrū ſubjeclū, vernō & autumnali tem- pore, præmiffō clyſtere, ſanguinis quantum ſit ſatis, mittant: Per id n. tempus, teſte Hippocrate VI. ſect. Aph. 55. humores in corpore agitan- tur. Et ſanguis, adſtipulante Celsō, vel ſemel in anno evacuatus, an- nuam arthriticis promittit ſanitatem. Alii ſingulō mense venam ad pedes pollicis tundi: Nonnulli in interlunio quolibet cucurbitulas ſine scarificatione affigi curant, & ita præcavent affectum. Qui id ex- periri vult, experiatur. Purgantia non admodum vehementia aut le- nia ad præſervationem ab instanti affectu ſummè utilia ſunt, quæ u- ſurpanda vere & autumnō, paulo ante æquinoctia, vel ſi repletio hu- morum imminet. Inter iſta notamus folia ſenæ, agaricum, Jalapp. g. gottæ, rhabarbarum, electuar. caryocost. Bayri pract. lib. I 8. c. I. deſcri-

descriptum. Ubi verò continuò & copiosè *sedata* urgent, singulis mensibus è primis viis evacuand⁹ est humor peccans vel pil. Frangofurtenib⁹, vel aliō leniori catharticō. Post purgationes natura roboranda magisteriō perlar. Riverii, vel confectione Alkermes, vel emulsione quadam convenienti. Qui cervice sunt crassā & pectore amplō, utantur vomitoriis ex infus. croci Metallorum, vitriolo albo vomitivo, coagulo asari &c. Inter sudorifera & insensibiliter dissipantia remedia, corporibusq; frigidioribus utilia, theriaca Andromachi numeratur, quā non solum in declinatione morbiutendum esse, sed & ad præservationem præcipit Galenus ad Pison cap. 15. Alii, ut Genuenses decoctum chamædryos tanquam antipodagricum sumnum Carolo quinto Imperatori commendarunt, de quo Solenander Consil. 25. sect. 4. pag. 419. &c. refert. Videatur Sennert. & sententia Vesalii apud ipsum. Sed & sequentia simili laudantur tenore, ut marubium aquaticum, aristol. utraq; rad. aronis, gentianæ, centaur. minus, Chamæpit. artemisia, fol. cichor. lylv. lap. astacorum, Ossa pedum hominis calcinata &c. ex quib⁹ composita concinnari possunt, quæ assumpta per tensilem & insensilem transpirationem materiam peccantem educere, & multum ad præcautionem podagræ facere queunt.

§. 27. *De Tertio.* Pedes tandem debiles roborari possunt vel vinaceis à torculari adhuc calentibus, velemplastrō diapalmæ, quod calceis ex aluta vulpina tenui obductum continuo gestatur; vel thermis Wisbadensib⁹, vel acidulis Swalbacensib⁹. Si acidulis aut thermis naturalibus caremus, conficienda sunt pediluvia & fomenta secundum artem, quorum sequens *Andernacus* habet: R. lixivii ex cineribus fagi parati & diligenter colati q. s. Vini p. aq. aluminiunc. ij. calentiant in fidili vitreato citra ebullitionem. Post manē & vesperi ante cibum pedestram altè immerge, ut aqua saltim supra tales exstet. Plura videantur autores: Hucusq; Tardipes & Lentulus noſſer.

△. M. ◎.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730121313/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730121313/phys_0024)

DFG

flare, aut equitare aut ambulare arthriticis non  
declinanda, ut sunt ira & terror, calidum enim  
& humores movent; sed gaudio moderato-  
rum. Haec tenus bona diæta ratio.

§. 26. Medicamentis utendum est, si quæ  
adsit, quæ alimenta etiam optima in vitiis sum-  
aut impurum generant sanguinem. De his ap-  
triculū a. & hepar egregie roborare dicitur Fr.  
R. Sem. coriandr. pp. dr. vj. anisi, fænic. cinam.  
rum dr. s. nuc. mosch. dr. iſ. calami arom. dr. j. cor.  
Rosat. tab. unc. j. Sacch. candi albīſ. unc. iſ. M.  
ingesto, quantum dimidio ovi putamine incli-  
digest. Quercetani: Pepticus Cratonis: Mor-  
tn. hepar calidius est, condit. rad. cichor. aut  
ret conveniens.

§. 27. De Secundo. Cum fieri ferè nequæ-  
linquat, qui non sibi soli, sed aliis etiam vivit  
plicitus est, ut Sennertus de arthr. ait, nec es-  
tut materia per diæta errores collecta ante in-  
tut, & è corpore exturbetur. Quod fieri p-  
tharticis, vomitoris, sudoriferis, & iis, qua-  
lestas per ἀδητὸν διαπνεὴν dissipant.

§. 28. Qui ergo abundant sanguine, nec na-  
frigidum habent corpus, ut nostrū subiectū,  
pore, præmissō cylstere, sanguinis quantum  
n. tempus, teste Hippocrate VI. scđt. Aþb. 55. hu-  
tur. Et sanguis, ad stipulante Celsō, vel semi-  
nuam arthriticis promittit sanitatem. Alii  
pedes pollicis tundi: Nonnulli in interlun-  
sine scarificatione affigi curant, & ita præca-  
peririvult, experiatur. Purgantia non admis-  
sia ad præservationem ab instantे affectu  
surpanda vere & autumnō, paulò ante & qui  
morum imminet. Inter ista notamus foli-  
g. gottæ, rhabarbarum, electuar. caryocof-

17  
rafiones  
undant,  
dulgen-

partium  
morem,  
ur. Ven-  
equens:  
arantio-  
Sacchar  
is à cibo  
cit pulv.  
&c. Ubi  
dum fo-

diæta de-  
potiis im-  
videtur,  
e evacute-  
tione, ca-  
turæ mo-

leibile aut  
nali tem-  
t: Per id  
re agitan-  
natus, an-  
venam ad  
curbitulas  
Qui id ex-  
tentia aut le-  
nt, quæ u-  
pletio hu-  
m, Jalapp.  
b. J 8. C. I.  
descri-

